DESIDERATUS
VENERANDI SENIS
DN. HENRICI BACHMANNI LIGI,
Senatoris
REIPUBL. PATRIÆ
Gravissimi,
post LXXV annor. Labores
feliciter superatos
CUM CHRISTO SUO
Dominicâ Primâ Adventus
A. SAL. MDCXLIX,
IN
CELESTEM HIEROSOLYMAM
INGRESSUS,
pio
Fautor. & Amicor. Vratisl.
AFFECTÛ
Celebratus.

LIGNICI
TYPIS SARTORIANIS
A. C. MDC L.

AEternantis honor Sionis, atq;
Dulcis docticanæ liquor Camenæ,
VIR Præstans Alischere, ne beatum
Bachmannum Socerum, VIRUM celebrem
Musarum Decus & trium Sororum,
Vestri qui fuit ampla pars Senatus,
Defunctum querulis nimis doleto
Verbis, nam viget ille, vivit, astum
Fastum, delicias, opes, honores
Vitam ridet & hanc, vigensq; longè
In cœlis agitat beatiorem.
Annis decubuit dolore quinq;,
Anhelans miserè salutis auram,
Ast ex nequitiæ furentis antro,
Iam perductus in atrium polorum est.
Dignum laude VIRUM mori vetabunt
In terris Generi sacrata scripta.
Felices animæ, quibus peracti
In Christo fragiles dies, & indè
Cæli jam jubar intuentur alti!
IESU â te petimus Redemtor Alme,
Ex his nos quoq; lacrumis vocato,
Tecum ut perpete perfruamur ævo.

In gratiam Rev. Dn. Alischeri
Amici honorandi & fratris in
Christo piè dilecti, animo condo-
lente composuit

M. Georgius Seidelius, Ecclesiæ
Neopolitanæ Vratislaviensis Præpos.

EPITAPHIUM.

PUERILE QUI SCEPTRUM IN SCHOLA, DEIN CIVICUM
REPUBLICA IN LIGNESIANA GESSERAT,
PROMERITUS UTROBIQUE VERAM GLORIAM,
HEIC OSSA BACHMANNI CUBANT. NAM SPIRITUS
JAM POST SCHOLAMQUE REMQUE PUBLICAM SOLI.
HABET SCHOLAMQUE REMQUE PUBLICAM POLI.

l. m. q. pon.

M. Elias Major P. L. C. Gymnasij
Vratislaviensis Elisabetani Rect.
Professor, cæterarumq; ibidem
Scholarum Inspector.

DEfessum in Scholico BACHMANNUM *pulvere, & Urbis*
De Lygiæ Templis meritum benè Deq; Lyceis
Provida cura Ducis, *Virtuti ut præmia constent,*
Ad sacra promovit justâ ratione senacla,
Et pueris cives parili candore regendos
Substituit. Veteres etenim regnare volebant
Philosophos, alijs qui vitæ dogmata scirent
Tradere, & exemplo laudato corda movere:
Hanc postquam Spartam pro viribus, atq; Senili
Dexteritate, fide, studioq; ornavit, JOVA,

Dux

Dux Summus, *vitæ saturum ad cælestia regna*
Evocat è mundi senio vitæq; periclis,
Perpetuò & secum Servum *vult esse* Fidelem,
Gaudia retribuens curis, requiemq; labori.
Foelix O Bachmanne vale! Sic itur ad astra!
Sic bene qui vixit, moritur bene, vivit in Ævum.

Ita Venerandi Senis Dn. Henrici Bachmanni, Senatoris Lignicensis, & Præceptoris olim sui etiam post mortem colendi funus cohonestare debuit, voluit,

Christianus Friederich
J. U. L.

Tumulus
Henrici Bachmanni.

Qui pueris quondam discentibus Utile dixit,
Formavitq; catâ voce sonare melos:
Et Cives facili præfinxit more futuros
Quales optabat Curia sancta bonos:
Evectus scholici doctâ de pulveris umbrâ,
Ille Senatorem convenienter agens:
Heic jacet in tenui Bachmannus conditus urnâ,
Clinicus, ac instar funeris ante necem.
Tellus sponte suâ florum pia munera promat:
Sit tibi terra levis: molliter ossa cubent:
Qui Patris esse loco fidum sensére Magistrum,
Hoc omnes uno Manibus ore vovent.
Ast hoc posteritas nôrit memorabile sera,
Affines unâ mente fuisse duos.
Quos fortuna jocans variis versabile fecit
Spectamen vicibus, ludibriumq; pilæ,
Noster hic est factus bonus ex Cantore Senator;
At Melideus scholico Rhetore Consus erat.
Ille sedens abiit sellæ statione Curulis;
Ast alter rediit Rhetoris ad Cathedram.
Ille recordantis patriæ requiescit in ulnis;
Hic procul â patriæ sede sepultus humi.

De Erudita Scholæ Umbra,
Et clara vitæ Luce,
Utrinq; bene merito,
Ac tandem emerito Seni,
H. M. Pos. Lub. Mer.

Christoph. Colerus.

Poscis *Alischeri caro Metra Nomine Vatis,*
Machnere, Aonidum dulce, placensq; Decus?
Tristia [proh dolor!] & quam-tristia Metra, requirunt
Tùm Larium, *tristes tùm* Soceri cineres.
Illis *considunt Libri, doctiq; Labores,*
Quos Studium Sophies *ursit, &* Eusebies.
His *antiqua* Fides, Pietasq; *canenda Nepoti*
Mergitur, & Generi devenerandus Amor.
Utrinq; *ebullit Lacrumarum Copia: nec Nos*
Cor miserens cladis non-meminisse sinit.
Næ mera Tristia conciperem, mera Tristia Versu;
Si foret absq; sacri Numinis Eloquio.
Et scit Alischerus quid Id omni præstet in Arctis;
Quam placido soleat Damna levare Modo.
Velle *pium* cordis Patrii *jubet usq; vereri:*
Quo sine nulla Domus *Damna*, Socervè *capit.*
Expendisse Manum Domini *jubet: Undè, quis unquam*
Credentum, semper Damna-dolenda tulit?
Noverit illa Diem, quo multâ sorte rependet,
Quæ Flammæ Rabies *Damna*, Atroposq; *dedit.*

Inte-

Intereà forti patientis Robore Mentis
Firmatam, Vitæ Spem per Acerba dabit.
Huic sit A*LISCHERI nostris concredita Votis*
Functio, Conjugium, Tegmina, Vita, Salus!

Quod amicissimo Machnero
his in votis ὁμόψηφος ex Animo scr.
M. Valent. Kleinwechterus.

Ad
Dn. Sebast. Alischerum.

POst multos senii luctus, mundiq; molesti
Tædia, per varias continuata vices,
Post fabricatores leti, mala tormina, morbos,
Dividiasq; quibus vita referta scatet,
Post etiam indeptos pulcræ virtutis honores,
Et curata sui muneris officia,
Sic benè luctatus, dubiisq; ambagibus actus,
Spectatusq; foris jam satis atq; domi,
Annorum vitæq; satur, meritisq; decorus
Subducit circo se tuus ecce Socer,
Optatâ & requie potitur, cæliq; nitentis
Corpore seposito tuta theatra subit,
Atq; ibi nunc senium & morbos mundumq; triumfat,
Et mortem, & quicquid triste minaxq; fuit.
Si benè te novi, solidato vulnere mentis,
Ipse heic succurres, dulcis amice, tibi.
Quisquis Justitiæ retulit certando coronam,
Non lugere jubet, sed jubet ille sequi.

amoris & solatij causa f.
Matthias Machnerus, Reipub.
Vratisl. ab expedition. Lat. & in Judiciis Eccles. & Orphan. Notar.

Qualis

QUalis Rivus aquæ jugis vim volvit alumnam,
Siccaq; deciduo rura liqvore rigat;
Ast ubi jam socijs se convena miscuit undis,
Oceanum tandem defluus æquor init:
Talis Bachmanus Lygiorum promtus in Vrbem
Effudit totas mentis & oris opes.
Qui prius Ascræis deduxit vallibus amnem,
Et docuit liquidâ voce sonare DEUM;
Ex umbrâ ad patulos posthac provectus honores
Vndanti explicuit vela secunda foro,
Direxitq; ratem freta per torrentia clavo
Prudenti rebus Tiphys in ambiguis.
Sic abijt plenus meritis, animamq; fidelem
In Christi effudit morte vocante sinum.
Elysias sed fama viri diffusa per oras
Vivet, dum Lygios cattus obibit agros.

Exili qvidem, promtâ tamen
crenâ profundebam
M. Iohannes Fechner.

προσφώνησις ad Defunctum.
Quousq; DOMINE, quousq;!

HEu mihi qvàm crucio cruciatus es ergò dolore!
Heu qvàm crebra Tibi Nox iit indè vigil!
Dum *domui* pariter *Lustrum*, BACHMANNE, *per ipsum*
Et *lecto* adfixus langvida membra trahis:
Haut secus ac Scythicâ quondam Convalle Prometheus,
Arrosus sacri Præpetis ungve jecur.
Sic & bis senos Hæmorrhöeusa per annos
Sangvinis adsiduo torta fluore fuit;
Sic & ad octavum Bethesdica balnea lustrum,
Nequicquam lentâ detinuêre morâ,

Quàm

Quàm ſibi ſenſit opem, quàm *ſummi* Verba *Magiſtri*
Surge age, *Vade*, cavâ Langvidus aure bibit.
Hidem igitur tum jure, *Quousq;* JEHOVA, *quousq;* !
CumPſalte & tecum congemuêre, ſuo.
Aſt nova præterea ſurgit Tibi cauſſa doloris,
Dum tua tardipedo ſunt data tecta DEO.
Quis tot enim numeret Cyrbes & acerba dolorum
Jure Diolygiis annumeranda malis;
Quando viſa tuos, ſævi per Alaſtoris iras,
Flamma vorax primùm corripuiſſe Lares!
Ad genua ut tantis actam fractamq; periclis
Jure ratus rem ſis tunc abiiſſe tuam.
Eluctare tamen vel ineluctabile Fatum,
Inſtruis ut ſolidâ vi Cor, & arma capis.
Arma, quibus, ſtreperoq; metu & terrore fugato,
Obvia per CHRISTUM quæq; pericla cadunt.
Qualis Hyperborei rupes duriſſima ponti
Perſtat, & alliſæ verbera ridet aquæ.
Dum fragor immoriens langveſcat, flabraq; ponant,
Spumeus hinc æſtus canaq; bulla cadat:
Sic felix tandem Martem Mortemq; triumfas,
Tutaq; ſecuro gaudia fers animo.
Patria ſed rurſus *victuro in Carmine* floret,
Quod, Genio, ſcripſit, ritè animante, *Gener*.
Quàm - furialis - enim - *malè* deturpavit Enyo;
Tam bene ALISCHERUS Ligia tecta canit.

συμπαθείας χάριν
app.
Johannes Gebhardus
Gymn. Eliſab. Vratisl.
Collega.

Heinricus Bachmanus
Anagr. demtis adſpir.
In arenâ ſuccumbis.

MOrtis in *indomitæ triſtis* ſuccumbis Arenâ;
Sed Tua Mors CHRISTI *in morte Trophæa capit*.

Heinricus Bachmanius
Anagr. eliſâ unâ adſpiratâ.
Sic in Heri Manu cubas:

P*òſt exantlatos Senij Meritiq; Labores*,
In Pace optatâ cum Simeone Sene
Salvus obis, *ſatur Annorum*, *ſatur atq; Laborum*,
Magne Vir, *Aonidum Theſpiadumq; jubar*.
Quàm benè! namq; cubas ſic in *clemente* - *beatus*
Morteq; Sorte - Manu *Cælipotentis* Heri.

Heinricus Bachmannus
Anagr. elimat: adſpir.
En canus Carminibus.

C*Rinibus ut Canus*, *multis ut Laudibus usq;*
Canus eras, *Tibi dùm Vita ſuperſtes erat*.
En *ſic poſt obitum tua cana vigebit in orbe*
Fama, *ſatis volitans docta per ora Virûm*.
Semper Honos Nomenq; Tuum Laudesq; manebunt;
Carminibus *doctis nonniſi* canus *eris*.
Felix, *qui moritur ſic Mente Menteq; canus*,
Illum ut poſt obitum Fama loquatur anus.

Henricus Bachman *Paragr. in Triãg.* 943
O Celum salve. 943

PErtæsus Vita Vitam relinquo libenter:
O Celum salve, *perfide Munde vale.*

Heinricus Bachman *Para. in Triãg.* 988
Vir bonus. 988

VIr bonus *occubuit, fle Templum, Curia, Nata;*
Fle, quicunq; bonus, Vir bonus *occubuit.*

Heinricus Bachmanus *Par. in Triãg.* 1369
Cœlum Patria vera 1369
Domini est Salus. 1369

T*Erra est Exilium modò,* Cœlum Patria vera;
In Cœlis Domini est *unius una* Salus.

Henricus Bachmañus *Par. in Triang.* 1415
Pietatis ocellus. *Sublata Monad.* 1415

D*Um fuit iste, fuit solidæ* Pietatis Ocellus:
Cumq; illo extincta est Integritas, Pietas.

Honoris & Doloris ergò hocce Anodynon ex condolenti Consangvinitatis instinctu lugens lubensq; assignabat.

Casparus Hofmanus Elysius Philodic.

Dis-

DIscedente pio Bachmano è turbine Vitæ
Discessit simul & Gloria cana Sophûm.
Nàm fuit antiquæ Fidei ac Pietatis Amator,
Absque omni Fraude, & laude coruscus, Homo.
Præfuit ille Choro dulci modulamine Vocis;
Pondere Consilii profuit ille Foro.
Is jàm discessit, cùm quo discessit, & omnis
Cessat in orbe Labor, cessat in orbe dolor.
Juro hic discessus successus spondet amœnos:
Aspera Vita Soli, prospera Vita Poli est.

Sic desideratiss. Dn. Consangvinei Vltima justa pijs Manibus apposuit

Iohannes Hofmanus SS. Theolog. Studios: & p. t. Ludimoderator in Schlichtingsheim.

E *Cruce multiplici Mundi Te Morte beatâ*
Transtulit ad Lucis splendida tecta
DEVS.
Quis non gratetur Cœli, post Nubila Mundi,
Jubila; quis tecum non velit esse Polo?
Est totus, quotus est, Mundus sentina Malorum;
Est Polus omnigeni Copia larga Boni,

 Ergò

Ergò Mihi salve novus Incola & Hospes Olympi;
Illic omne Bonum, quod cupis, invenies.

Conjunctissimæ Consangvinitatis
E. Συλλυπίας ergò hæc pauca
in solidum Lugentium Sola-
tium scribeb.

Iustinus Hofmanus
SS. Theolog. Scud.